



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XII. De re cum vitio occulto vendita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

# CASUS XII.

*De re cum vitio occulto vendita.*

**S**Tichus, quia sibi res quaedam cum vitio occulto à Cne<sup>o</sup> jo vendita fuit, deprehenso errore contractum vel nunquam fuisse validum, vel saltem rescindibilem contendit, hinc.

Q. 1. Quid de valore contractus, cui deceptio circa qualitates causam dederat, sentiendum?

Q. 2. Si talis contractus fuerit validus, num à decepto pro suo lubitu rescindi possit?

Q. 3. Quid juris, si absque alterius contrahentis; aut ex culpa cujusdam tertij deceptio contigerit?

Q. 4. Quid ad hunc casum sit respondendum?

## SYNOPSIS.

1. Irritus fuit talis contractus, si error circa substantiam rei, aut motivum principale intervenit.

2. Valebit tamen, si cum errore formali incidente celebratus fuerit.

### S. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

*Quid de valore contractus, cui deceptio circa qualitates causam dederat, sit sentiendum?*

1. Validus erit contractus, si qualitates sub dubio fuerint propositæ, & à Stichò nequaquam examinatæ.

2. Aut examinatæ quidem fuerint, ad contrahendum tamen non permoverint.

3. Nullus etiam erit, si error circa qua-

- qualitates in objectum contractus intraverit.
6. Contractus stricti juris subsistunt, licet eisdem dolus causam dederit.
7. Item probabilius de contractu bone fidei tenendum.
8. Talis contractus jure naturali validus non infirmatur à jure positivo.
9. Contractus bone fidei non annullatur præcisè ex defectu bone fidei in altero contrahente.
10. Valor talis contractus non provenit ex fraude decipientis sed ex utriusque consensu.
11. Error causat subinde involuntarium solum secundum quid.
12. Qualiter consensus talis decepti sit inefficax.

## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*An contractus, cui deceptio circa qualitates duntaxat accidentales versans, ex culpa alterius contrahentis causam dederat, à decepto si voluerit, rescindi possit?*

13. Responsio est affirmativa.
14. Licet ipse nocens obligetur firmiter.
15. Deceptus tamen solummodo revocabiliter obstrictus maneat.
16. Quia subinde se ipsum aliquis à sua obligatione potest eximere.
17. Decipiens ratione contractus, non autem ratione injurie alteri illata firmiter obligatur.
18. Et quidem probabilis, licet nullum damnum ex hac injuria deceptus passus fuerit.
19. Nec contractui oneroso facultas rescindendi contraria videtur.
20. Nec favet decipienti, quod voluerit se obligare decepto, si hic illi se obligaverit.
21. Ex fido consensu nulla oritur obligatio; quia hæc ab illo impediuntur.
22. Quia matrimonium ex utraque parte est indissolubile, ratione doli non potest rescindi à decepto.

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

An decepto competat facultas rescindendi, si error absque culpa alterius contrahentis conigeru?

23. Probabilis talis contractus erit indissolubilis, si jam completus fuerit.
24. Nisi alter ad talem qualitatem probandam se obligaverit expresse. Aut etiam tacite.
25. Inculpabilis deceptor non tenetur deceptionem cum magno suo damno impedire.
26. Nisi in certo casu.
27. Error versans circa qualitatem extrinsecam & dans causam contractui, est validus.
28. Si à tertio deceptio processerit, contractus, & validus, & irrescindibilis erit.
29. Aliter se res habet in sponsalibus,
30. Supposita rescindibilitate contractus, ab hoc absque sententia iudicis deceptor rescire poterit.
31. Deceptus, & naturaliter, & civiliter obligatur hoc contractu, si facultate à juribus sibi concessa uti nolit.
32. Ex hoc tamen nequaquam obligatio decepti erit frustranea.
33. Estque hoc jus in deceptio in ordine ad exceptionem perpetuam.

## §. IV.

## Resolvitur quartum Quæsitum?

Quid ad hunc casum su respondendum?

34. Triplex videtur solvendum esse dubium.
35. Venditio hæc fuit nulla, si hoc vitium fuerit substantiale &c.
36. Error circa qualitatem accidentalem licet contractui causam dederit, contractum non reddit irritum.
37. Multò minus eundem invalidam error merè incidens.
38. Poterit tamen à decepto rescindi, si dolus vendentis intercesserit.
39. Debuit tamen ipse venditor se non obligasse ad assensum omnis latentis vitij, hoc enim posito contractus irritus.

tractus vel rescindi, vel ad æqualitatem reduci poterit.

41. Si tamen deceptus damnum

quoddam exinde passus fuerit, 42. Nec periculum latentis vitij in) susceperit.

**V**itium, circa quod se deceptum conqueritur emptor Stichus, potest dari in substantia rei emptæ: aut versari circa motivum principale atque finem per hujus rei emptionem intentum. quodcumque ex istis verificetur, ex dictis de fraudulento mendico constat, emptionem fore nullam atque irritam, eò quod ejusmodi deceptio excludat consensum, cum versetur, circa prædicatum, cui intentio ementis erat alligata.

2 Quod si autem deceptio circa hoc vitium inciderit duntaxat in contractum, quatenus etiam illo cognito adhuc illam rem emisset Stichus, tunc juxta dicta in citato casu §. 3. validus erit contractus, reducendus tamen ad æqualitatem,

si in illo emptor læsus fuerit, agnoscunt etiam cum tali errore incidente celebrati contractus validorem, *Lex 9. princ. ff. de dolo malo, §. l. 13. §. 4. §. 5. ff. de act. empt. vendit.* in his enim L. L. traditur, decepto competere actionem ex contractu, in quem dolus inciderit, non potest autem irritus esse contractus, ex quo actio contractui propria descendit.

Supereft itaque ut videamus, num subsistat, si deceptio illa fuerit antecedens, & dederit causam contractui in quantum Stichus rem illam nequaquam suscepit empturus, nisi talis deceptio circa hoc vitium intervenisset, ad quod tamen manifestandum venditor fuisset obligatus.

### §. I.

#### Resolvitur primum Quæsitum.

*Quid de valore contractus, cui deceptio causam dedit, sentiendum?*

**D**ico 1. Si qualitates sub dubio fuerint ementi propositæ; hic verò nulla deliberatione præmissa contraxerit, ostendens

exteriùs, se tamen contracturum, licet expressè illas qualitates vitiosas agnosceret, erit validus contractus, probatur. in tali casu &

& in substantiam & in qualitates accidentales saltem virtualiter consensus emens : ergo &c.

4 Dico 2. Pariter contractus subsistet, si examinatione preposita sub dubio qualitatam premissa, emens quidem deceptus, ex hac tamen deceptione ad contrahendum non permotus fuerit. Ita Lessius Lib. 2. cap. 17. dub. 5. n. 22. Basilius Legion Lib. 4. de matrim. cap. 21. n. 3. Palao de iuram. Disp. 2. pu. 5. n. 8. probatur, si error harum qualitatam naturaliter contigisset, foret validus contractus : ergo etiam in tali casu. probatur consequentia. Si à qualitatam errore non fuit permotus ad contrahendum, perinde est, ac si naturaliter circa illas errasset, atque nullam circa illas noctiam habuisset.

5 Dico 3. Si error circa qualitatam in objectum contractus intraverit, hic iure naturæ erit nullus. Ita Basilius, Legion, Palao n. 11. loci cit. probatur in tali casu consensus etiam tendebat in qualitatam, ut in suum objectum : ergo si illa qualitas non datur, neque dabitur consensus, prout hic etiam non datur, si substantia consensus non datur. Confirmatur, talis consensus necessariò debet variari sublata illa circumstantià vel qualitate, in quam tendebat, & quam emens credebat adesse. Confirmatur 2. Talis consensus fuit virtualiter conditionatus, si scilicet illa qualitas adsit,

Dico 4. Contractus stricti iuris subsistet, licet dolus eidem causam dederit. Ita Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 12. n. 12. Hunnold. tom. 3. tract. 8. n. 23. Gletle in suis selectis Quest. que. 35. n. 2. probatur, iure naturæ est validus, & non constat eundem iure positivo annullatum, sed potius ab hoc ut validus videretur declarari Lege 5. Cod. de inutil. stipul. §. 1. Inst. de Except. probatur, in his textibus dicitur, obligari ac efficaci ratione conveniri posse, qui dolo inductus stipulanti promissit, quod non debebat : ergo talis stipulatio, cui dolus causam dedit, non est iure positivo irritata ; cum ex irritato contractu non resultet actio ad agendum. In Confirmationem nostræ sententiæ adduci etiam possunt Lex. 11. §. 5. ff. de action. empti. Leg. 36. ff. de verb. oblig. Lex. 5. Cod. de rescindenda vendit. in his enim locis datur decepto exceptio, vel actio ad rescissionem contractus : ergo debet iste esse validus, quia aliàs non posset rescindi.

Diximus autem alibi, contractus stricti iuris esse, in quibus iudex debet pronuntiare secundum rigorem & verba conventionis, quibus tamen emptio nequaquam annumeratur.

Dico 6. Etiam contractus bonæ fidei, qualis est emptio, erit validus, licet illi dolus alterius contrahentis causam dederit, modò non versetur deceptio circa

X 2 sub-

substantiam; motivum principale; aut vitium non intraverit in objectum contractus. Ita Lugo *Disp. 22. sect. 6. n. 69.* Palao *de Juram. disp. 2. p. 5. n. 19.* Lessius *lib. 2. de jure & just. cap. 17. dub. 5.* Wilsenbac, *Disp. ad ff. 13. Theji 84.* Haunold. *Tom. 3. de J. & J. tract. 8. cap. 2. controuv. 1. S. 3. n. 86.*

Probatur conclusio. Contractus fuit verè voluntarius erranti vel decepto, & ex nullo alio capite apparet ratio eundem annullandi: ergo probatur antecedens eò ipso, quòd error non fuerit circa substantiam contractus, erat hic erranti quoad totam suam substantiam voluntarius: ergo validus, licèt detecto errore contractus non fuisset, ratio est, quia affectus futurus contingens non impedit absolutè consensum in substantiam contractus.

Probatur 2. à pari, valida juxta communioem est ordinatio Presbyteri, licèt ex errore eidem Episcopus ordines contulerit falso judicans eundem esse habilem ratione requisitæ ætatis, aut dimissorialium à suo ordinario fraudulenter obtentorum, quia hic error non versabatur circa substantiam: ergo &c.

Probatur 3. Matrimonium cum tali errore contractum valet: ergo etiam alij contractus, antecedens constat in casu, quo puella depauperata se fingit divitem, & hinc in uxorem ab aliquo as-

sumitur absolutè, quin solum consensus alligaverit divitijs tanquam conditioni sine qua non. Probatur consequentia, si alij non valerent, ratio foret, quia in illis deest voluntarius consensus, ob errorem, sed hic non deest, quia in matrimonio datur similis error, & tamen adest sufficiens voluntarius consensus.

Confirmatur. occisio Sempronij est mihi utique voluntaria sub ratione homicidij, licèt illum ex errore interfecerim, falso judicans, illum esse meum inimicum, non occisurus, si scivissem hoc esse falsum,

Confirmatur 2. Si error vel dolus sit incidens, ita ut etiam illo remoto absolutè res fuisset empta, minore tamen pretio, contractus quoad istum excessum juxta adversarios est validus, & tamen datur defectus requisitæ circa illum excessum scientiæ, cujus causa ille dolus vel error extitit: ergo defectus talis scientiæ non obest valori contractus.

Probatur eadem conclusio 4. Communi bono convenientior & decepto est optabilis, ut contractus valet, quam non. Probatur, si valet, deceptores subinde possunt in astutia sua capi, si enim contra opinionem & judicium deceptoris contractus decepto sit optabilis, deceptus debet stare contractus, quod

quod non fieret in oppositis principijs.

Ad has rationes respondent contrarie opinionis Authores, & quibus est Molina de J. & J. disp. 259. n. 6. & disp. 352. n. 2. Bachov. tract. de Act. disp. 6. Tract. 17. Vinn. lib. 1. select. Q. 6. 12. Ejusmodi ex dolo initum contractum non esse quidem irritum ex defectu consensu, bene autem ex annullatione juris positivi scilicet Leg. 16. in causa cognitione §. 1. ff. de Minoribus ibi relatum est apud Labeonem, si minor circumscriptus societatem coierit, vel etiam donationis causa; nullam esse societatem, nec inter majores quidem, & ideo cessare partes prioris, & Osilius respondet; satis enim ipso jure manius est.

Sed contra est: hæc lex loquitur universaliter de omni deceptione & dolo, non distinguens inter dolum solummodo incidentem, & dantem contractui causam: seu antecedentem: si ergo annullat omnem contractum cum deceptione initum etiam cum dolo incidente initus ab illa fuerat annullatus: atqui hoc negant adversarij: ergo non poterit defendi, quod omnem cum dolo quocunque initum contractum verè annullat: ergo neque annullabit contractum cum dolo causam dante factum, cum uti dictum de utroque indifferenter loquatur: ergo so-

lum declaravit, quod non sit firmus, sed rescindibilis.

Reponunt adversarij, extra omnem dubium esse, quod ex dolo incidente contractus non infirmetur; hinc non esse credibile, quod Juris-Consultus ad hujus tam certæ rei probandam veritatem, auctoritatem Labeonis voluerit allegare: ergo lex loquitur de solo dolo antecedente, ac dante causam contractui.

¶. finem §. 1. cit. legis non esse annullare hunc contractum, sed tantum ostendere casum, in quo non sit opus, ut minorennis restituatur in integrum. In principio enim cit. Lex dicit, restitutionem in integrum non esse assumendam, si alius adhuc Titulus adsit favens minorenni. Dein §. 1. subjungit, & quasi in exemplo ostendit, talem titulum adesse, quando contractus ex dolo celebratus est nullus, id est rescindibilis. ¶. 2. Sæpius in jure contingere, ut id ipsum statuat, quod vel naturali, vel anteriore quodam jure statutum fuerat, constat hoc ex cap. 7. de Procurator.

Dicunt 2. Leg. 7. ff. de dolo malo dicitur: nulla est venditio, si quis in principio hoc ipso ut venderet, circumscriptus est: ergo.

Respondent nostræ opinionis Authores, ibidem sermonem esse de venditione sine auctoritate Tutoris facta, quæ propter hunc defectum irrita declarari potuit.

X

Addu-

Adducunt tertio contra nos etiam *Legem 1. Cod. de Rescind. vendit. ibi: mala fidei emptio irrita est.* *¶* hanc legem posse intelligi de nullitate contractus efficacis ex parte decepti, eò quòd iste possit rescissionem illius pro suo lubitu petere: item de nullitate ex parte decipientis, in quantum jura nolunt, ut huic jus quoddam efficax exoriarur ex contractu dolosè à se inito.

Adducunt 4. *Legem 3. §. ult. ff. pro socio.* hic de societate dicitur, quòd ipso jure nullus sit momenti, si dolo malo, aut fraudandi animo fuerit inita. Si responamus, sermonem esse de sola societate, quæ sceleris causâ, atque ad eò malo fine contracta fuit. Contra hoc inferunt: in allata Lege nullitatis fundamentum duplex astringitur, dolus scilicet malus, & finis malus: ergo sicut societas cum fine malo est ipso jure irrita, sic etiam dolo malo, quia Lex de utroque loquitur æqualiter.

*¶* cum hæc lex non distinguat inter contractum dolo malo antecedente, vel incidente tantum initum, & de utroque dicat, quòd sit nullus, ideo non poterit intelligi de nullitate omnimoda, ita, ut neque decipiens obligetur decepto, si hic illum fortè vellet obligare, & stare contractui.

Ex his inferimus, saltem dubium esse sensum Legum pro nullitate contractus bonæ fidei alla-

tarum: ergo optimo jure inferimus, talem contractum non esse ipso facto irritum. Probatum illatum. Est jure naturæ certè validus, & ex parte altera est dubium, an sit jure positivo annullatus: ergo absolute in praxi tenendum, quòd sit validus. Probatum consequentia, nullus habetur textus clarus atque apertus, quòd jus positivum à naturali recesserit: ergo procedendum est juxta jus naturale.

Confirmatur. Jus certum prævalet juri dubio: jus naturale confirmans hunc contractum est certum: jus positivum annullans est dubium: ergo standum est juri naturali.

Confirmatur 2. Utraque sententia est tam intrinsicè, quam extrinsicè probabilis, cum & gravibus rationibus, & magna auctoritate nitatur: ergo jus positivum in hoc casu est dubium: ergo tenenda erit illa sententia, quam jus naturale approbat.

Dicunt 3. Jura annullant taliter initos contractus bonæ fidei, quòd dolus repugnet bonæ fidei, quæ vel maxime in contractu bonæ fidei est attendenda. *¶* etiam ad contractum stricti juris necessaria est bona fides, & hoc non obstante contractus dolosè celebratus subsistit. Dein contractus bonæ fidei ex eo hoc nomen sortitur, quòd in hoc ampliore iudici potestas concedatur, quam in altera, non autem propterea, qua-

quasi melior fides ad hunc, quam ad stricti juris contractum sit necessaria.

¶ 3. Distinguo antecedens, Jura annullant talem contractum, ita ut velint illum inviolabiliter, etiam à decipiente non esse servandum. nego. ita ut velint illum ex parte decepti non esse firmum, sed ad hujus arbitrium rescindibilem : concedo antecedens, & nego consequentiam.

¶ 6. Dicunt 6. Rationi & æquitati naturali repugnat, ut ex injuria nascatur obligatio justitiæ, & dolum committens ex sua injuria quoddam jus consequatur : sed hoc fieret, si contractus valeret : ergo &c.

¶ hoc totum argumentum, etiam pugnare contra stricti juris contractus. ¶ 2. nego suppositum, quòd valor ex dolo proveniat, sed ex utriusque mutuo

consensu : ex dolo autem provenit jus rescindendi decepto competens.

Dicunt 7. Error atque deceptio causant involuntarium, atqui hic dantur error atque deceptio : ergo &c. ¶ distinguo majorem. Causant involuntarium secundum quid, concedo, causant involuntarium simpliciter subdistinguo ; si versentur circa substantialia actûs : concedo. Si circa accidentales duntaxat qualitates : nego majorem : & sic distincta minore nego consequentiam.

Dicunt 8. Licet sit consensus taliter decepti voluntarius, est ille tamen inefficax, & non obligans. ¶ distinguo. est inefficax in tantum, in quantum potest deceptus, si velit, illum rescindere : concedo ; ut in se sit omnino nullus : negatur.

## S. II.

### Resolvitur secundum Quæsitum.

*An contractus, cui deceptio, circa qualitates duntaxat accidentales versans, ex culpa, vel dolo alterius contrahentis causam dederat, à decepto, si voluerit, rescindi possit?*

¶ Responsio nostra est affirmativa. Ita de Lugo de contract. disp. 22. sect. 6. n. 75. cum omnibus iis, qui talem agnoscunt esse

validum. Poterit autem rescindi vel per actionem doli, vel per hujus exceptionem, quòd actione doli sit rescindibilis. Docemur

mur

mur in § 1. *Inst. de Except. & Leg.*  
 11. §. 5. ff. *de action. empti. Leg. 36.*  
 ff. *de V. O. Leg. 5. Cod. de inutil. stipul. L. 5. Cod. de rescind. vendit. altera*  
*pars constat ex Leg. dolo 5 ff. de inutil. stipul. ibi: dolo vel malo adhibito, actio quidem nascitur: per doli mali tamen, vel metus exceptionem summo-  
 moveri petitio debet.*

Probatur conclusio ratione talis deceptus, si velit potest non servare hunc contractum: ergo non irrevocabiliter obligat, probatur antecedens: decipiens, quia suo dolo injuriam decepto atque damnum intulit, tenetur ab hoc injuriam auferre, & damnum reparare, consequenter constituere eum in illo statu, in quo erat antea: ergo deceptus habet jus ad non servandum contractum. probatur consequentia, cuilibet obligationi passivæ correspondet jus aliquod activum: ergo si decipiens habet obligationem passivam constituendi deceptum in statu, in quo antea fuerat, ad hoc habebit jus activum ipse deceptus.

¶ 4. Ob. 1. Si deceptus non obligatur firmiter, tunc neque decipiens firmiter obligabitur. *¶* nego sequelam. Ratio est, quia decipiens non habet instar decepti aliunde jus quoddam ex injuria, vel alio capite adversus deceptum, vi ejus illum ad contractus iniri dissolutionem possit adigere: ergo per se firmiter ad illius impletionem obligabitur.

Ob. 2. Si deceptus agnitâ veritate dissolvere contractum ex sui deceptione iniri potest, tunc omnino & nunquam fuit obligatus, & consequenter contractus semper erat invalidus. Probatur. nemo se ipsum ab obligatione sibi imposita potest liberare: ergo &c. *¶* distinguo antecedens, deceptus nunquam fuit irrevocabiliter obligatus; concedo antecedens: nunquam fuit, nec proximè, nec revocabiliter obligatus: nego antecedens & consequentiam, simpliciter fuit obligatus, quia adfuit voluntarium simpliciter, & uterque se obligare voluit & neuter fictè, quia autem omnis decipiens tenetur auferre dolum, & deceptum in pristinum statum restituere, ideo deceptus non firmiter obligatur: sed cognito dolo, si voluerit, poterit à contractu recedere.

Urgent: est possibilis obligatio proxima ad aliquid faciendum, quæ tamen sit subordinata voluntati obligati, ita ut sic possit se eximere, quando voluerit: ergo &c. *¶* nego antecedens, summus enim pontifex potest secum ipso dispensare in legibus pro tota communitate Ecclesiæ latis, item quilibet Prælatus præditus potestate dispensandi in votis suorum subditorum etiam in proprijs dispensare potest, Juxta Thom. Sanchez *lib. 4. in Decalogum cap. 37. n. 45. & lib. 2. 44*

de Matrim. disp. 3. à n. 6. datur scilicet obligatio servandi contractum ob voluntarium consensum, in emptionem, v. g. praestitum: jus autem ab hac obligatione se liberandi ob illatam ex dolo alterius injuriam, quo si uti noluerit, manebit obligatus.

- 17 Ob 3. Etiam ipse deceptor ante sententiam judicis non tenetur stare tali contractui: ergo non fuit validus, probatur antecedens. neque ratione contractus, neque ratione injuriae illatae tenetur stare tali contractui: ergo, probatur antecedens quoad primum membrum, decipiens voluit se tantum obligare, si etiam alter maneret obligatus: ergo si alter, deceptus scilicet, non est obligatus, etiam ipse noluit se obligare, quia voluit celebrare contractum onerosum.

Probatur etiam secundum membrum antecedentis, injuria illata potest saepius alijs modis reparari: insuper datum damnum subinde vel est omnino nullum vel alia via, quam rescissione contractus resciri potest: ergo ex injuria, & dato damno non obligabitur decipiens.

Et nego antecedens, & dico decipientem ratione contractus formaliter obligatum esse, non autem ratione injuriae, & quidem tamdiu, quamdiu deceptus non dissolverit vi juris, quod habet ob sui deceptionem.

Urgebis. Injuria illata solum obligat, cum ex illa quoddam damnum alteri fuit illatum: ergo si ex injuria nullum damnum illatum decepto fuit, ad nihil erit obligatus decipiens: atqui hoc est possibile, ut deceptus nullum damnum ex sui deceptione patiat: ergo saltem in tali casu non potest resilire deceptus. Et transmissio hoc toto necdum probatum fuisse, quodsi damnum ex deceptione fuerit secutum in decepto, hic resilire nequeat, quod solum volebat conclusio, quod concernit illud, decipientem voluisse duntaxat se obligare, si deceptus sit obligatus, dicimus deceptum se voluisse obligare, & manere obligatum: ergo purificata fuit conditio, sub qua decipiens se obligabat: interea tamen ob injuriam alterius sibi illatam in contractu, deceptus habet potestatem, si voluerit, ab illo resiliendi.

Urgent. Hanc potestatem esse contrariam contractui oneroso, Et nego antecedens. Patet hoc in contractu cum pupillo inito, juxta illa, quae habentur in principio Instit. de auctoritate Tutorum, & ex §. pupillus Instit. de inutilibus stipulationibus.

Ob 4. Si decipiens expressè dixisset, ego me obligo, si tu te mihi obligas, & non aliter, non maneret decipiens obligatus, quia deceptus re ipsa non manet obligatus: ergo etiam nunquam erit obligatus, quia semper implicitè habuit

habuit hanc voluntatem. *n.* cum juxta nostra principia deceptus verè obligatus maneat, usquedum dissolverit, ideo etiam decipiens, licèt sub illa conditione contraxerit, erit obligatus, usquedum placuerit deceptus resilire, quo facto etiam deceptor desinit esse obligatus. Parent hæc omnia in contractu cum pupillo.

Dices: ipse decipiens habuit implicitam voluntatem se obligandi tantum posito, quòd etiam deceptor se irrevocabiliter obliget; non autem posito, quòd deceptus se obliget solummodo revocabiliter. *n.* vel deceptor actu advertit se irrevocabiliter obligari à se illatam competere jus ad rescindendum hunc contractum, vel ad hoc se non reflectebat? si se ad hoc jus reflectebat actu, tunc vel implicitè in animo suum consensum huic conditioni obligavit, vel non obligavit? si secum consensum actu alligaverat, non fuit ille in foro conscientie absolutus, sed ad eventum appositæ conditionis suspensus: & cum non ipsa conditio, sed oppositum illius evenerit, nunquam absolutus contractus celebratus fuerat: consequenter in conscientia non tenebitur stare contractu: obligatus tamen nihilominus erit ad reparationem damnorum, si quæ deceptus ob commissam hanc fraudem passus fuerit. Si de foro externo loquamur, cum hunc suum conditio-

natum consensum probare nequeat, absolute contraxisse presumetur.

Si ponant adversarij desuisse in actuali conventionem, hanc actuali reflexionem ad jus rescindendi hunc contractum decepto ob injuriam illatam competens: ipsum tamen decipientem habitualiter ita fuisse constitutum; ut, si scivisset deceptum revocabiliter duntaxat obligatum fore, nequaquam contraheret; respondeo, hanc habituales constitutionem nequaquam invalidare contractum; plurimi enim absolute contrahunt cum alijs, nequaquam contractum, si una, vel altera circumstantia contractui in se spectato accidentalis, atque extrinseca eidem tunc incidisset: nemo tamen assertit, ejusmodi contractus esse nullos. Quis enim invalidum declarabit matrimonium, quod Cajus cum Bertha jam corrupta contraxerat, si hujus fuerat nefcius, & habitualiter ita constitutus, ut cum illa non contraxisset, si de illius corruptione eidem cogitatio quædam incidisset, aut admonitus ab alio fuisset?

Instabis: implicitam hanc voluntatem se obligandi posito, quòd etiam deceptor se irrevocabiliter obliget, in neutro ex istis modis consistere; sed in eo, quòd decipiens in hunc contractum solummodo consentiat sub hac conditione, si ex eo deceptus, & ipse decipiens sint

æqualiter obligati, & unus non plus quam alter: cum ergo inæqualiter forent obligati, decipiens scilicet irrevocabiliter, deceptus autem duntaxat revocabiliter, hinc ob defectum conditionis, cui absolutus consensus decipientis erat alligatus, decipiens omnino non consenserat, & habuerat implicitam voluntatem se non obligandi, nisi posito, quod etiam deceptus se velit irrevocabiliter obligatum. Sed contra est: *Lex Leges 3. Cod. de LL. docet: Leges ut generales ab omnibus æqualiter imponerentur observentur* & *Lex 7. ibidem: Leges & Constitutiones futuris certum est dare formam negotijs:* ex altera parte quilibet vult contrahere conformiter LL. ergo si Leges decepto concedunt jus rescindendi contractum: decipientem autem volunt absolute, ac irrevocabiliter obligatum, decipiens etiam in hoc ipsum consenserat, & hæc implicita voluntas prævaluit alteri, aut certe in foro externo præferetur, ne decipienti sua fraus prodesse incipiat, hinc à Judice ad implendum contractum ad instantiam decepti obligabitur.

Ob. 5. Fictè contrahens, si nullum aliud damnum sequatur, non tenetur postea contrahere, ac verè consentire. Item fictè proficiens non tenetur postea verè profiteri: ergo nec talis deceptor stare contractui. *¶* concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quòd fictus consensus impediatur contractus essentiam, & consequenter hujus etiam obligationem: ergo sola obligatio ex injuria, & illato damno remanet, si itaque hæc absint, etiam deerit obligatio.

Ob. 6. Ex hoc sequitur, quòd viro liceat resilire à matrimonio, cui causam dolus uxoris dederat, si error non fuerit circa substantiam contractus: ergo &c. Respondeo disparitatem esse, quòd matrimonium nequeat esse ex una parte indissolubile, ex altera autem dissolubile, si hæc voluerit; ergo vel ab initio statim nulla pars fuit obligata; vel utraque manebit semper obligata, si semel erat obligata. Hæc indissolubilitas non datur in alijs contractibus: ergo nulla est in hoc paritas.

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*An decepto competat facultas dissolvendi contractum, si deceptio absque culpa alterius contrahentis contingeret, in quantum vel iste id verum esse existimavit, vel ipso inscio decepit tertius?*

**D**ico 1. Contractum jam completum non amplius dissolvi posse, si eidem causam dedit error absque culpa alterius contrahentis interveniens; in quantum hic inculpabiliter judicaverat, illud verum esse. Ita Molina: Card. de Lugo *cit. disp. 22. sect. 6. n. 81.* Lessius, Illung, Taberna, & omnes illi, qui defendunt ejusmodi contractus esse nullos, vel rescindendos ob injuriam decepto illatam, non autem ex defectu consensu.

Probat. jus dissolvendi contractum ex errore dante illi causam initum, fundatur unice in injuria, quam alter deceptor contrahens decepto intulit: ergo si huic nullam intulit, non dabitur in altero contrahente decepto jus activum, & neque in deceptore jus passivum, seu obligatio passiva dissolvendi. Subsumo: sed alter contrahens decepto nullam injuriam intulit, si absque illius culpa error intervenit: ergo &c. consequentia prima constat;

cessante etenim causa cessat effectus.

Placuit tamen hic annotare, quæ Palao *de obligat. juram. Disp. 2. p. 5. n. 23.* insinuat, posse licet me dissolvere contractum, licet ab altero contrahente nequam deceptus fuerim, modo ille fuerit conscius mei erroris. Rationem hujus sui asserti afferit, quod hac ratione alter censetur esse particeps doli; consequenter contra justitiam peccaverit, cum ista cuilibet imponat obligationem manifestandi occulta rei vendendæ vitia, quod Palao asserti constare *ex L. 1. ff. de editio edict. § L. 13. ff. de actionibus empti & venditi* Palao consentiunt Molina *tract. 2. de Just. Disp. 313. can. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 17. n. 11. in fine.*

Dico 2. licet unus contrahentium non dolose alterum deceperit, si tamen expressè se obligaverat ad qualitatem à se assertam probandam, ac verificandam, & assecuraverit dari illam qualita-

tem, volente taliter decepto ad rescissionem illius contractus erit obligatus, & quidem vi talis contractus. probatur. in talibus circumstantiis sub hac conditione atque Lege contraxerunt, quod scilicet alterum duntaxat velit obligatum supposita tali qualitate: ergo si postea constet talem qualitatem non adesse deceptus non tenebitur stare contractui.

25 Dico 3. Idem ipsum tenendum si contrahens tacite ad hoc se obligaverit, assertio constat, nam eadem est ratio taciti atque expressi. tunc autem censetur hæc tacita obligatio intercessisse, & in contractum deducta, quoties tale quid asseritur, ut emptor ad contrahendum inducatur: hinc etiam alter talem conditionem acceptare nec aliter, nisi sub existentia illius, contrahere supponitur. Videndum itaque, an deceptio causam contractui præbens circa qualitatem intrinsecam rei, quæ emitur vel conducitur, versetur: tunc enim ad illam verificandam obligatus erit assertor contrahens, licet absque omni sua culpa deceperit alterum, supposito quod deceptus etiam, saltem implicite, sub veritate hujus conditionis in contractum consenserit.

36 Ob. contra primam conclusionem; etiam inculpabilis deceptor est obligatus ad auferendam deceptionem suam: ergo ad re-

sciendum tractatum, probatur antecedens, si tertius inculpabiliter decepisset unum ex contrahentibus, cognita postea veritate, deberet deceptus admoneri, ut damnum aliàs sua causa subeundum evitet: ergo &c. ¶. distinguo antecedens: est ad hoc obligatus, si absque suo gravi damno habita consideratione ad damnum alteri datum auferre deceptionem potest concedo, etiam hoc posito: negatur. veritas distinctionis patet in casu inculpabilis diffamationis quæ tunc solum suum auctorem ad retractandum obligat, si habita consideratione damni diffamato evenientis sine suo gravi damno diffamator sua dicta revocare possit.

Urgebis. non apparet quomodo manifestans errorem commissum patiat grave damnum: ergo semper debet suum errorem manifestare comparti. ¶. nego antecedens, si enim deceptor inculpabilis decepto errorem manifestet, poterit iste dissolutionem celebrati contractus instituire, cujus dissolutio decipienti magnum damnum asferre potest; & ex altera parte non necessario ab innocente deceptore est facienda, quod si tamen damnum decepto eveniens ex deceptione tam magnum foret, ut etiam propter improprietatem cum suo illud non sine proprio dam-

Y 3

dam-

damno impediretur, errorem utique deberet manifestare.

- 28 Ob. 2. Juxta 2. & 3. conclusionem, inculpabilis deceptor semper deberet pati rescissionem contractus, probatur, quoniam error versatur circa qualitatem, quæ dat causam contractui, obligat se decipiens ad verificandam illam qualitatem, *in* nego antecedens utriusque Enthymematis, hoc enim non videtur habere locum, quando inculpabilis error versatur circa motiva & causas extrinsecas, non autem intrinsecas rei, ut si persuadeam alteri emptionem mei agri, eò quod proximè adfuit eidem suo tempore ab alio donandus sit, quod tamen postea non evenit.

- 29 Dico ulterius 4. Si unus contrahentium deceptus quidem fuit, non tamen ab altero contrahente, qui deceptionis fuerat ignarus: sed à tertio; ita ut hæc deceptio causam contractui dederit, contractum fore validum, & à decepto irrefcindibilem: actionem tamen decepto adversus tertium competere ad totum damnum ab illo reparandum. ita sentiunt Molina *disp. 352. §. ut quod sentio.* Rebellus *lib. 1. dictæ quest. 6. n. 11.* Lugo *disp. 22. sect. 6. n. 84.* Lessius: *cap. 17. dub. 5. n. 33.* contra Conradum *de contract. in summario totius operis.* Medinam *de restit. quest. 33.* Thomam Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 64.*

n. 5. Bonac. *disp. 3. q. 1. pn. 1. §. 2. num. 4.* Reginald. *lib. 26. num. 224.*

Est autem hæc nostra conclusio intelligenda de contractu ex utraque, vel saltem ex una parte jam completo, si enim contractus adhuc sit integer, & deceptor errorem suum agnoscat, ut contractum compleat, in conscientia non poterit obligari, quod patet in contractu sponsalium, & in quolibet alio, si res notabiliter mutata fuerit, aut postea primùm aperuerit, quod ab initio latebat: nam paria sunt supervenire de novo, & proferri in lucem, seu incipere cognosci, accedit, quod tacita mens contrahentium sit, non obligare se ad contractum implendum, si se deceptor apprehendant.

Probatur conclusio, in tali casu non datur fundamentum, ob quod solum rescindibilis est contractus ex errore alterius contrahentis initus: ergo talis non erit rescindibilis. probatur antecedens, fundamentum solum juxta dicta est injuria ab altero contrahentium illata, quam iste tenetur & non potest aliter reparare, nisi rescisso retractu: aqua hæc injuria non datur, si tertius deceptus: ergo &c.

Hæc ipsa conclusio etiam probatur ex *Lege* & *elegantè ff. de dolo*; & *Lege si proxima ff. de proxeneticis*, quæ Leges decepto attribuant jus, ut tertium deceptorum

rem ad totius damni reparatio-  
nem obligare possit.

Confirmatur. nullus ex con-  
trahentibus est ita constitutus, ut  
si alter postea deprehendat, se à  
tertio vel à se ipso in aliquo decep-  
tum esse, quod non sit substantiale  
quid, velit illi concedere jus re-  
scindendi contractum: ergo talis  
deceptio à tertio proveniens non  
dabit jus rescindendi contractum.

Ut tamen talis ex dolo tertij  
proveniens consensus in contra-  
ctum sit irrevocabilis, oportet  
hunc tertium non facere unicam  
cum contrahente personam, qua-  
lem faciunt curator, procurator,  
aut negotiorum gestor. Ita *Re-  
dellus lib. 9. q. 4. n. 5.*

Ultimum denique membrum  
nostræ hujus conclusionis, affe-  
rens decepto competere actio-  
nem adversus tertium decepto-  
rem, ut hic decepto damnum re-  
paret; actionem scilicet, quanto  
minoris, patet ex *Lege 13. ff. de  
action. empti, Lege 18. in fine, de  
adilitio edito*. Item contra de-  
ceptorem actio ad id, quod inter-  
est. *Leg. 2. de proxenaticis*. Quæ  
autem de jure, quod decepto dixi-  
mus competere adversus tertium  
deceptorem, intelligenda sunt dun-  
taxat de casu, quo tertius for-  
malem dolum commiserat: si enim  
ipse id malitiosè non fuerat, sed de-  
ceptus à se ipso, sine culpa, ad ni-  
hilum etiam ejusmodi deceptor  
obligatus erit. Ceterùm *Lessius de  
Justitia lib. 2, cap. 17, n. 33.* duo

bene notanda advertit: primum,  
quod in tali casu deceptus adversus  
socium etiam bona fide contrahen-  
tem cum decepto competat actio  
quanti minoris detecto vitio rem  
esset empturus juxta citatam *Le-  
gem 18. in fine de adilitio edito*,  
alterum quod seposita dispositione  
juris positivi ejusmodi contractus  
Lesio videatur rescindibilis, si  
deceptio sit causa contractus, &  
circa rem magni momenti, in  
qua meritò deceptus non censetur  
voluisse consentire: jubet circa  
hoc inspicere Sylvestrum: *V. Ju-  
ramentum 3. q. 1. & Navarrum  
cap. 12. n. 13.*

Ob, contra hanc conclusio-  
nem, 1. Si sponsalia ex tali de-  
ceptione à tertio etiam exorta  
ineantur, possunt à decepto re-  
scindi: ergo etiam reliqui bona  
fidei contractus, & nego con-  
sequentiam: disparitas est, quod  
major quædam libertas ad spon-  
salia requiratur, eò quod obli-  
gent ad contractum matrimonia-  
lem indissolubilem & in mutuo  
amore contrahentium fundatum.

Ob 2. Si tale quid post con-  
tractum primum evenerit, habe-  
ret jus dissolvendi illum, quia no-  
tabilis mutatio facta fuisset, &  
hæc tribuit jus dissolutionis: er-  
go etiam hoc dabitur, licet prius  
jam fuerit, latuerit tamen contra-  
hentem.

3. Si quæcunque circum-  
stantia postea apparens contra-  
ctum dissolvendi jus tribuit, mo-  
do

do illa sit talis, ut prius cognita absterruisset contrahentem, quam plurimos, si non omnino omnes contractus rescissioni subjectos fore, quod bono communi videtur contrarium.

¶ 2. Cum distinctione. si talis mutatio postea cognita versetur circa substantiam contractus, concedo, si tantum circa qualitates accidentales. negatur.

31 Dico 5. Deceptum à contractu propria autoritate etiam non requisita sententia iudicis rescilire posse, quando dolus ita causam contractui dederat, ut deceptus eundem rescindendi jus habeat. ita sentiunt Sanchez. de Sponsal. lib. 1. de Matrim. disp. 69. num. 3. Lugo disp. 22. sect. 6. n. 95. ut autem id fieri possit, haberi debet certitudo juris & facti, nec ullum scandalum timendum est.

Probatur, in tali casu deceptor habet veram obligationem ad tollendam injuriam decepto factam, & huic concedere potest libertatem ac facultatem tollendi vinculum: ergo deceptus habet jus non standi contractui: ergo etiam dissolvendi.

Probatur 2. Si necessaria foret sententia iudicis, ratio foret, quia contractus fuit validus, & deceptus erat obligatus: hæc ratio nulla est: probatur minor. Contractus solummodo erat validus, quamdiu illo stare placebat decepto: ergo si huic non amplius placeat stare contractui, poterit per

se ipsum deceptus eundem dissolvere.

Probatur 3. Juxta omnes talis deceptus habet actionem ut eoram iudice possit agere ad rescindendum contractum: ergo etiam habet exceptionem non solvendi, si ad hoc à decipiente compellatur. probatur consequentia, vi cap. qui ad agendum: de Regal. juris in 6. qui habet jus ad agendum multo magis ad excipiendum admittitur.

Obijces: deceptus obligatur naturaliter atque civiliter hoc contractui: ergo non potest ante sententiam iudicis dissolvere, distinguo antecedens. obligatur, si nolit uti facultate à iuribus sibi concessa, concedo. Si hæc velit uti, subdividuo. Obligatur, si contractus necdum fuerit executioni datus: nego. Si jam fuerit executioni datus: concedo antecedens; & nego consequentiam.

Urgebis. Hac ratione obligatio decepti est frustranea, cum ab illa se liberare possit, quando voluerit. R. nego antecedens: deceptus enim solum potest ante executionem contractus, etiam non obtentâ sententiâ iudicis contractum rescindere: non autem, si executioni contractus datus fuerit; tunc enim imploranda est iudicis sententia, antequam decipiens rem acceptam non teneatur restituere. Sanchez de matrim. disp. 38. n. 34.

34 Ob. 2. Vel deceptus re adhuc integra, seu necdum completo contractu haberet adhuc semper hanc facultatem, vel solum pro illo tempore, quo durat actio ad agendum coram iudice ad rescindendum contractum? *¶* etiam si actio tantum temporalis esset, & nequaquam perpetua ad repetendum, competere tamen de-

cepto perpetuam facultatem dissolvendi talem contractum necdum completum. Ratio est, quod annalia seu temporalia ad agendum sint perpetua ad excipiendum *Lege: licet 5. Cod. de exception, ubi & Glossa sine, & ibi scribes speculat. tit. de except. sub. n. 190. Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 38. n. 34.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid ad hunc casum sit respondendum?

35 **T**Riplex resolvenda manet quæsitio. Prima, Utrum ratione erroris circa occultum vitium contractus sit nullus? Secunda, si valeat, an locus sit rescissioni? Tertia, si rescissioni non sit locus, num aliquid de accepto pretio emptori decepto refundendum sit?

ra qualitas accidentalis. Constat ex §. 1.

Colligimus 3. Multo magis valeturum, si error tantum fuerit concomitans, & solum incidit in contractum.

Ut itaque aliquid de valore huius venditionis decidatur, natura vitij, & intentio ementis perpendis omnibus circumstantijs expendæ erunt.

36 Colligimus itaque ex hætenus disputatis, venditionem futuram fuisse nullam, si hoc vitium, circa quod dabatur error, erat substantiale, & contra finem, ac principale motivum ementis, aut in objectum contractus intraverit. Ita tum ex casu de fraudulento mendico, tum ex hætenus dictis desumitur.

Ut ad alterum quæsitum transeamus; num scilicet rescindi valeat. In §. 2. concl. unica defendimus affirmativam, casu quo alter contrahens, scilicet venditor, ex sua culpa; vel dolo deceptionis extiterit causa. Quod si alterius contrahentis, scilicet venditoris nulla culpa intervenerit, rescissioni nullum locum futurum esse §. 3. asserimus.

37 Colligimus 2. Licet ignorantia huius vitij dederit causam huic contractui. Hunc tamen adhuc substitutum, si vitium fuerit me-

Z

In

- 40 In eodem §. 3. concl. 2. & 3. conclusimus, quid juris emptori competat, si venditor se expressè, vel tacitè obligaverat ad absentiam omnis vitij in re vendita; tunc enim rescindi venditionem ob compertum postea vitium posse, ibidem innuimus, si rescilio decepto minùs placuerit, contractus, posito quod in hoc læsus fuerit ad æqualitatem reducendus & excessus, qui ultra pretium rigorosum acceptus fuerat, emptori restituendus erit juxta Molinam *disp. 349. §. 353.* cum communi, hinc juxta hunc Authorem *disp. 353. cit.* emptori competit actio, quàm iura *quantò minoris* vocant, ad repetendum à venditore quantò minùs rem illam erat empturus.
- 41 Diximus ad æqualitatem reducendum contractum esse, quando in hoc emptor læsus fuerit, si enim non obstante hoc vitio adhuc pretium solutum venditam mercem adæquaverit, nullius damni. eò quòd hoc non intervenerit, compensatio emptori erit præstanda; cum res etiam cum tali vitio emptori ponatur utilis esse.
- 42 Contingit autem frequentius, ut venditor ignarus occulti vitij, hujus periculum à se in emptor-

rem rejiciat, postea verò contrahentes conveniant de pretio, quod spectatis circumstantijs omnibus, & apparentiâ rei tempore contractûs, nec non habita ratione hac, quod venditor periculum in emptorem rejecerit, judicatur esse æquale merci. In tali casu ad nihil refundendum obligari venditor juxta Molinam *disp. 353.* poterit, etiamsi emptor postea deprehendat, rem comparatam suo vitio non caruisse.

Unum adhuc ad plenam solutionem hujus casûs deesse videtur: diximus enim, rescindi contractum posse, si dolus vendentis intervenerit: hinc nova confurgit quæstio quandonam dolum aliquem intervenisse iudicare vel præsumere possimus? facilis quidem ad hoc videtur responsio esse. Si dicamus, tunc dolum intercessisse, quando venditor ad prodendum vitium obligatur, hoc tamen prodere omnino non potest. At nova ulterior redit quæstio, quibusnam in circumstantijs hæc obligatio prodendi vitium occultum incumbat venditoribus? hanc quæstionem quòd concernit illius resolutionem in alio casu dare conabimur.